

indignissime violaverit. Postremo quod ubi tandem ad firmamenta atque praesidia causae suae explicanda pervenit, nihil attulerit, praeter unam, eamque levissimam, ne dicam ineptam, ac puerilem argumentationem: « Cum, inquit, per electionem principum a solo Deo regnum et imperium nostrum sit, qui in passione Christi Filii sui duobus gladiis necessariis regendum orbem subjecit, eumque Petrus Apostolus hac doctrina mundum informaverit, Deum timete, regem honorificate: quicumque nos imperialem coronam pro beneficio a Domino Papa suscepisse dixerit, divinae institutioni, et doctrinae Petri contrarius est, et mendacii reus erit ». Haec ille. Quae certe argumentatio, si ad verae rationis trutinam revocetur, vereor ne prorsus indigna tanto principe videatur. Nam quod attinet ad duos illos gladios, quorum in passione Domini mentio fit, si quis paulo attentius Evangelium legat, non Caesaris unum, alterum Ecclesiae, sed utrumque gladium Ecclesiae, ac potissimum Petri esse videbit. Quocirca si alterum Caesar habet, non a solo Deo (ut Fridericus imperator dicit) sed a Deo per Petrum habet, ita imperatoris argumentatio adversus ipsum suum auctorem pugnat.

Sed placet de hac ipsa re S. Bernardi testimonium in medium adferre. Sic enim scribit lib. iv. de Considerat. cap. 3. Quid tu denuo usurpare gladium tentas, quem semel jussus es ponere in vaginam? Quem tamen, qui tuum negat, non satis mihi videtur attendere verbum Domini dicentis sic: Convertere gladium tuum in vaginam. Tuus ergo et ipse, tuo forsitan nutu, etsi non tua manu, evaginandus. Alioquin si nullo modo ad te pertineret et is, dicentibus Apostolis: Ecce gladii duo hic; non respondisset Dominus, Satis est, sed, Nimis est. Uterque ergo Ecclesiae, et spiritualis scilicet gladius, et materialis, sed is quidem pro Ecclesia, ille vero et ab Ecclesia exercendus est. Iste sacerdotis, is militis manu, sed sane ad nutum sacerdotis, et jussum imperatoris. Haec Bernardus.

Illa autem qualis quæso argumentatio est: S. Petrus ait: Deum timete, regem honorificate: ergo cum Petro pugnat, et reus mendacii est, quicumque dixerit imperatorem Summi Pontificis beneficio imperare? Quae est hæc nova dialectica? An ille rex fortasse (juxta præceptum S. Petri) honorificandus non erit, qui ab alio regnum acceperit? Quis

ita insaniat, ut hoc dicat? Rex Catholicus, ac potentissimus Philippus regnum Neapolitanum feudum esse Romani Pontificis quotannis publice profitetur; et tamen quis dicere auderet, non esse regem Philippum a populo Neapolitano honorificandum, aut verba S. Petri ad eum regem nihil pertinere? Quid quod non solum imperatoris Friderici argumentatio nihil efficit, sed etiam illa ejus sententia: regnum atque imperium suum esse a solo Deo, nulla ratione defendi potest? Nam quis omnium ignorat, humana regna jure gentium constitui, dum populi communi consensu in unum aliquem potestatem suam transferunt? Id certe (ut cætera taceam) leges ipsæ imperatoriae, diserte testantur. I. ex hoc jure gentium, ff. de justitia et jure. Si vero potestas regis a populo est, quid est quod Fridericus ait, regnum nostrum a solo Deo est? Quod si et imperium (post translationem a Græcis in Germanos) non a Pontifice, sed a solo Deo est, quæ causa fuit cur Fridericus in Italiam ad Pontificem veniret, atque ab eo ad imperium provehi postularet? Hæc enim sunt verba, quæ nomine Friderici ipso præsentem Friderico ad Pontificem Adrianum Bambergensis Episcopus fecit: « Notum tibi esse volumus, reverende Pater quia omnis Ecclesia de finibus orbis ad honorem regni collecta, adduxit Principem suum ad tuam Beatitudinem, provehendum per te ad culmen imperii. Hoc meretur nobilitas, prudentia, fortitudo, Dei timor, et Catholicæ pacis amor in corde illius regnans, et sanctæ Romanæ Ecclesiae cultus non vulgaris. Ecce te venientem excepit venerabundus tuis sanctissimis vestigiis humiliter provolutus. Ergo, venerande Pater, tu circa ipsum peragas, ut quæ ei desunt de plenitudine imperialis culminis, per tuæ Beatitudinis munificentiam suppleantur ». Haec ille, teste Alberto Krantzio lib. vi. Saxoniæ, cap. 16. Qua ratione igitur imperium Friderici a solo Deo fuit, si Pontifex Adrianus ad imperium illum provexit, et imperialis culminis plenitudinem, quæ illi deerat, contulit? et si munificentiam Pontificis Episcopus Bambergensis, Friderici ipsius orator, appellare non timuit illam coronationem imperatoriam, quid est cur beneficium Pontificis eadem illa coronatio dici non possit? Sed pergamus ad cætera.

Quarto loco addit Illyricus epistolam quamdam Adriani Papæ ad Archiepiscopos Moguntinum, Coloniensem, et Trevirenses,

quam ex Aventino descripsit. De qua epistola nihil est quod dicamus, cum ea tota nostra sit. Id unum annotandum erit, mentiri Illyricum cum ait: Adrianus nodum in scirpo quærit, Imperium esse beneficium Romani sacerdotis, Augustumque precario dumtaxat regnare asserit. Siquidem in tota epistola nusquam legitur nomen beneficii. Neque Pontifex Adrianus eo loco asserit Augustum precario dumtaxat regnare; quin contra potius affirmat, regnum habere illum ex electione principum suorum, a se autem nomen imperatoris. Ex electione, inquit, principum suorum habet nomen regni, ex consecratione nostra habet nomen imperatoris.

Quinto Illyricus adjungit epistolam quamdam Friderici ad Adrianum ex Nauclero, quæ neque esse ordine suo posita, neque facit ad rem. Non enim illa scripta est tempore hujus controversiæ, de qua nunc agimus, sed aut antea, si credimus Nauclero, in Chronico Generat. 30. aut postea, ut ex Radevico lib. ii. cap. 18. colligi videtur; si tamen hæc epistola illa est, cujus meminit eo loco Radevico, et non potius alia ab aliquo conficta. Scribit enim Radevico, Fridericum imperatorem, ut indignationem conceptam in Adrianum solaretur, notario suo imperasse, ut in scribendis epistolis ad Pontificem nomen suum nomini Pontificis anteponeret, et distinctionibus singularis numeri ipsum alloqueretur. Hæc autem epistola, quam ex Nauclero produxit Illyricus, contendit quidem nomen imperatoris præponi debere, cum imperator ad Pontificem scribit, perpetuo tamen Pontificem alloquitur in numero multitudinis. Quid quod hæc ipsa epistola non parum officit causæ ejusdem Friderici? Nam inter cætera scribit epistolæ auctor, Silvestrum ante Constantini donationem nihil regalium habuisse: ex quo satis aperte videtur agnoscere ut veram atque legitimam Constantini donationem, quæ apud Gratianum habetur distinct. 96. can. Constantinus. Porro illa donatio non solum urbem Romam, atque Italiam universam, sed etiam omnes Occidentalis imperii provincias complectebatur. Quod si ita est, unde postea Occidentale imperium ad Carolum et successores pervenit, nisi ex dono ac beneficio Pontificum Romanorum? Nisi forte Carolus Magnus (quod nefas est cogitare) sacrilege eripuerit sancto Petro, quod ei pie donaverat Constantinus. Vides igitur hanc epistolam

vel esse confictam, vel ipsi causæ Friderici, atque Illyrici majus detrimentum adferre, quam attulerint omnia verba, atque omnes legationes Pontificis Adriani. Nece iam Adrianus unquam tam luculenter dixit, aut scripsit, Germanos reges Apostolicæ Sedis beneficio imperare, quam id ipsum Fridericus scripsit, si ipsius illa epistola est.

Sexto producit Illyricus ex Othone Frisingensi lib. ii. de rebus gestis Friderici, cap. 21. legationem populi Romani ad Fridericum, et Friderici responsionem. Nihil autem horum loco suo ponitur, nec ad rem facit. Nam ista legatio populi Romani missa est ad Fridericum, cum is ad Urbem propinquaret causa coronæ imperialis a Pontifice petendæ. Controversia autem illa de imperio: Sitne beneficium Pontificis, an non, sequenti anno, coronatione jam peracta, exorta est. Porro ad rem ista non faciunt, cum non sit nostra quæstio de populo, sed de Pontifice Romano. Tantum vero abest, ut ea legatio populi Romani Pontificis jussu, vel consilio, aut consensu missa sit ad Fridericum, ut potius (Othone teste ibidem) Adrianus legationem illam improbaverit, et paulo post, iisdem repugnantibus Romanis, Fridericum coronaverit. Vides igitur, lector, quam vere initio dixerit Illyricus, se ordine subjecturum, quæ ad præsentem controversiam pertinent.

Septimo addit ex Radevico (quem falso Othonem vocat) lib. ii. cap. 30. de rebus gestis Friderici epistolam Eberhardi Episcopi Bambergensis, ad Eberhardum Archiepiscopum Saltzburgensem, necnon responsionem quamdam Friderici imperatoris ad quamdam summi Pontificis legationem. Quæ similia sunt superioribus, id est, neque narrantur ordine suo, neque pertinent ullo modo ad rem.

Octavo profert ex lib. i. cap. 15. et 16. Radevici (quem ipse omnino Othonem Frisingensem vult videri) fragmentum epistolæ Adriani ad Episcopos quosdam Germanos, et responsionem eorumdem ad Pontificem. Ac nunc tandem Illyricus post longos errores domum redit. Istæ siquidem duæ epistolæ (si ordo tenendus sit) proprie sequuntur post eam narrationem, quam tertio loco Illyricus recitaverat. Cætera quæ interjecta sunt, ac præcipue quintum, sextum, et septimum, inter parerga numerari possunt. Neque alia de causa inserta videntur, nisi ut augeant prolegomena, et lectoris mentem confundant. Tametsi autem hæc omnia, quæ octavo

loco ab Illyrico producantur, ad rem præsentem faciant, nihil tamen habent quod refellendum sit; cum nihil fere aliud contineant, quam repetitionem superiorum. Unum est dumtaxat, quod non tam refutatione, quam animadversione indiget, argumentum videlicet quod Illyricus præmittit ante epistolam Præsulum Germaniæ ad Summum Pontificem, quod quidem ejusmodi est: « Responsio Præsulum Germanorum ad prædictas litteras Pontificis, quibus reprehendunt illud papale figmentum, et movent ut id nova legatione ac descriptione revocet ». Præterea novam illam elegantiam sermonis: « Responsio Præsulum, quibus reprehendunt ». Sed mendacium præterire non possum; neque enim in tota illa epistola ulla mentio fit papalis figmenti; neque admonetur Pontifex ut revocet quidquam, sed solum ut exulceratum animum principis ex verbi cujusdam ambiguitate, novis litteris lenire, ac mitigare velit. Hæc enim sunt illorum verba: « De cætero Sanctitatem vestram suppliciter rogamus et obsecramus, ut nostræ parcatis infirmitati, utque magnanimitatem filii vestri, sicut bonus Pastor, leniatis scriptis vestris, scripta priora suavitate mellita dulcorantibus ».

Nono addit legationem, ac litteras Pontificis Adriani ad Fridericum, quibus verbi ambiguitate exposita, continuo animum principis mitigatus est. Sed verba Illyrici audiamus: « Novæ, inquit, litteræ, ac legatio Papæ, qua totum illud suum figmentum de beneficio imperii Germanis collato, artificiosa interpretatione tollit, ac non obscure recantat, polliceturque se posthac imperii jura minime violaturum esse ». Hæc sunt Illyrici verba, in quibus duo splendida mendacia continentur. Exstant enim litteræ integræ Pontificis Adriani apud Radevicum lib. I. cap. 22. in iis autem non retractat Pontifex ullum figmentum, nec se jura imperii posthac non violaturum promittit, sed arguit imperitiam eorum, qui Friderico suggererant, beneficium coronationis feudum significare. Hæc enim est epistola pontificia.

« Ex quo universalis Ecclesiæ curam Deo, prout ipsi placuit, disponente suscepimus, ita in cunctis negotiis magnificentiam tuam honorare curavimus, ut de die in diem animum tuus magis ac magis in amore nostro, et veneratione Sedis Apostolicæ debuisset accendi. Unde sine grandi admiratione non ferimus, quod cum audito, ex suggestione quorum-

dam animum tuum aliquantulum contra nos fuisse commotum, duos de melioribus et majoribus fratribus nostris, Rolandum scilicet cancellarium tituli sancti Marci, et Bernardum tituli sancti Clementis presbyteros Cardinales, qui pro tuæ majestatis honore in Romana Ecclesia solliciti semper exstiterant, pro voluntatis tuæ cognitione ad tuam præsentiam destinavimus, aliter quam imperialem decuerit honorificentiam, sunt fractati. Occasione siquidem cujusdam verbi, quod est beneficium, tuus animus (sicut dicitur) est commotus, quod utique nedum tanti viri, sed nec cujuslibet minoris animum merito commovisset. Licet enim hoc nomen, quod est beneficium, apud quosdam in alia significatione, quam ex impositione habeat, assumitur; tunc tamen in ea significatione accipiendum fuerat, quam nos ipsi posuimus, et quam ex institutione sua noscitur retinere. Hoc enim nomen ex bono et facto est editum, et dicitur beneficium apud nos, non feudum, sed bonum factum, in qua significatione in universo Scripturæ sacræ corpore invenitur, ubi ex beneficio Dei, non tamquam ex feudo, sed velut ex benedictione, et bono facto ipsius gubernari dicimur et nutrirī. Et tua quidem magnificentia liquido recognoscit, quod nos ita bene, et honorifice imperialis dignitatis insigne capiti tuo imposuimus, ut bonum factum valeat ab omnibus judicari. Unde quidam verbum hoc, et illud scilicet (contulimus tibi insigne imperialis coronæ), a sensu suo visi sunt ad alium retorquere, non ex merito causæ, sed de voluntate propria, et illorum suggestione, qui pacem regni, et Ecclesiæ nullatenus diligerent, hoc egerunt. Per hoc enim vocabulum (contulimus) nihil aliud intelleximus, nisi quod superius dictum est, imposuimus. Sane quod postmodum personas ecclesiasticas a debita sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ usitatione (ut dicitur) revocare jussisti, si ita est, quam inconvenienter actum sit, tua, fili in Christo charissime, discretio, ut credimus, recognoscit. Nam si aliquid apud nos amaritudinis habebas, per nuncios, et litteras tuas fuerat intimandum, et nos honori tuo curavisset, sicut filii charissimi, providere. Nunc igitur ad commonitionem dilecti filii nostri Henrici Bajoriæ et Saxonie ducis, duos de fratribus nostris Henricum tituli sancti Nerei, et Achillei, et Jacinetum sanctæ Mariæ in Cosmedin diaconum, Cardinales prudentes siquidem et honestos viros ad tuam præsentiam destina-

vimus, celsitudinem tuam monentes, et hortantes in Domino, quatenus eos honeste et benigne recipias, et quod ab eis ex parte nostra tuæ magnificentie fuerit intimatum, a sinceritate cordis nostri noverit tua excellentia processisse, ac per hoc cum eisdem filiis nostris, mediante jam dicto filio nostro duce, ita celsitudo tua studeat convenire, ut inter te, ac matrem tuam sacrosanctam Romanam Ecclesiam nullius discordiæ seminarium debeat remanere. »

Hanc epistolam totam ne uno quidem verbo omisso adscribere volui, ut Illyrici mendacia ex ipsa epistola refutarentur. Ubi enim obsecro est illa figmenti Pontifici retractatio? Dixerat Pontifex in priore epistola, quam etiam supra totam adscripsimus, se Friderico, cum is Romam ad coronam accipiendam venisset læto animo occurrisset, ac plenitudinem dignitatis, id est, imperialis coronæ insignia contulisse. Quod ipsum Friderici nomine orator ipsius Episcopus Bambergensis (ut ex Krantzio supra citavimus) a Pontifice postulaverat. Deinde de hac ipsa coronatione loquens addiderat in litteris suis idem Pontifex, non modo se non moleste ferre, quod ea contulisset, sed etiam non immerito gavisurum, si majora beneficia de manu sua Cæsar accepisset. Quo loco beneficium quod in imperatorem a Pontifice significatur collatum, non potest ullo modo aliter accipi, nisi quis de industria cavillari velit, quam ut ad coronationem imperialem referatur. Quid igitur Papa retractat, quid revocat, quid recantat (ut verbo utar Illyrici) cum nomine beneficii non se feudum aliquid, sed coronationis munus intellexisse dicit. Neque vero recte colliget jam Illyricus; non dicit Papa imperium Germanorum feudum esse Pontificis: ergo figmentum est quod Adrianus, quod Innocentius III quod omnes historici dicunt, imperium a Græcis ad Francos Pontificis auctoritate esse translatum. Nam etsi non dixit Adrianus, imperium esse feudum, non tamen dixit non esse: et licet non esse dixisset, non tamen continuo sequeretur, falsam esse translationem imperii. Aliud enim est, imperium ab una gente ad aliam transferre; aliud vero, feudum constituere.

Deinde in quo angulo epistolæ Adriani latet id, quod Illyricus in argumento posuit, cum ait: « Pollicetur se posthac imperii jura minime violaturum? » Certe epistolam totam audivimus, ac ne syllabam quidem unam de

hac pollicitatione reperimus. Sed video ubi fundamentum mendacii sui Illyricus constituerit, quod nimirum Radevicus Frisingensis, posteaquam epistolam Adriani operi suo inseruerat, subjunxerit continuo, illis litteris imperatorem placatum, benigne deinceps cum legatis Romani Pontificis egisse, legatos vero imperatori promississe, præsullem Romanum honorem atque justitiam imperii illibatam semper conservaturum. At illa pollicitatio legatorum fuit, non ipsius Pontificis. Neque legati polliciti sunt præsullem Romanum jura imperii posthac non violaturum, quasi aliquando ante violasset, sed illibata, ut semper fecerat, perpetuo conservaturum. Siquidem iidem legati (Radevico teste) cum primum imperatorem alloquerentur, eique litteras Apostolicas traderent, præfati sunt, sine ulla justa causa adversus Romanam Ecclesiam imperatorem fuisse commotum. Hæc enim sunt illorum verba: « Quanta dilectione sancta Romana Ecclesia amplitudinem, et honorem imperii vestri amplectatur, quam sine conscientia peccati vestram satis invita sustinuerit indignationem, et scripta præsentia, et in ore nostro posita vivæ vocis officium declarabit ». Ex quibus verbis satis profecto manifeste colligitur, numquam venisse in mentem legatis, ut violata fuisse a Romano Pontifice jura imperii dicerent. Proinde mendacium est Illyrici, promississe Pontificem Friderico, se posthac imperii jura minime violaturum.

Addit postremo in prolegomenis suis Illyricus ex historia Abbatis Urspergensis, Adrianum Pontificem iterum ab imperatore dissidere cœpisse, atque eo usque progressum dissidium, ut tandem imperator a Pontifice excommunicaretur, sed paulo post divino miraculo Pontificem, dum is recentem aquam ex fonte biberet, a musca quæ os ejus simul cum aqua intraverat, apud Anagniam extinctum. Verumtamen hanc non veram historiam, sed improbabilem fabellam esse, ex eo potest intelligi, quod Abbas Urspergensis ex Joanne quodam Cremonensi, auctore obscuro, et schismatico, eam narrationem refert. Ille vero non alium testem producit, quam incertum rumorem vulgi: « Cum venisset, inquit, ad quemdam fontem, hausit de potu illius, et continuo, ut dicitur, musca quædam os ejus intravit, et gutturi ejus adhesit, nulloque artificio medicorum avelli potuit, quoad usque spiritum exhalarat ». Hæc ille. Quo circa tota fides hujus rei pen-

det ex illo, ut dicitur, hoc est, ex falso rumore, quem æmuli forte sparserunt.

Porro Radevicus lib. II. cap. 43. honorifice describit obitum ac sepulturam Adriani, quod idem faciunt Platina, Martinus Polonus, et alii, qui Pontificum vitas describunt. Joan. Nauclerus in Chronico, generatione 39. scribit, suspicari se narrationem illam Cremonensis affectu potius quam veritate scriptam. Sanctus autem Antoninus in Summa historica, par. 2. tit. 17, cap. 1. §. 9. ex Helinando refert, Adrianum virum optimum fuisse, ut nullo modo probabile sit eum talem exitum habiturum, qualem Cremonensis dicit. Denique si res esset vera, qui fieri posset, ut mors tam nova et insolens a nullo certo scriptore annotata fuisset?

At Fridericum imperatorem, qui non solum cum Adriano diu contendit, sed etiam Alexandrum, successorem Adriani, ita vexavit, ut tres antipapas adversus eum imperiali potentia foverit, non incertus rumor, sed testes certissimi, id est, omnes historici testantur, in Armenia a flumine quodam absorptum miserrime periisse. De quo sic scribit Gulielmus Neubrigensis ejus temporis auctor, in lib. IV. rerum Anglicarum cap. 13. « Fridericus imperator Teutonicus, iter Hierosolymitanum ingressus, cum in gurgitem fluvii equo stimulo prosiilisset, in momento suffocatus interiit. O abyssus multa judiciorum Dei! Vir tantus, et qui divino quodam fervore relictis deliciis, opibusque imperii, mille se exposuerat propter Christum periculis, tam subito miseroque casu absumitur. Peccatum tamen ejus tantum et tale elucet, quod forte in imperialibus non potuerit deliciis expiari, atque ideo oportuerit, ne æternaliter plecteretur, pia divinitatis provisione in hac vita severius castigari. Siquidem nefarii schismatis sub venerabili Papa Alexandro principalis fautor exstiterat, et pacis ecclesiasticæ per imperialem potentiam multo tempore perturbator. Tandem vero perspicue dans palmam veritati, minus tamen in deliciis palatii piacularum malum desleverat ». Hæc ille. Addit autem Abbas Urspergensis in Chronico, post absorptum (ut dictum est) a flumine Fridericum, exercitum ejus, aut aeris intemperie, aut abundantia ciborum morbo contracto pene totum brevissimo tempore consumptum. Ita sententiam Adriani Pontificis, quæ exstat in epistola ad Episcopos Germaniæ apud Radevicum lib. I. cap. 16. verissimam fuisse, rei eventus compro-

bavit. Sic enim ille scripserat: « Non acquiescat idem filius noster consilii iniquorum, consideret novissima, et antiqua, et per illam viam incedat, per quam Justinianus, et alii Catholici imperatores incessisse noscuntur. Exemplo siquidem, et imitatione illorum, et honorem in terris, et felicitatem in cælis sibi poterit cumulare. Vos etiam, si eam ad rectam semitam reduxeritis, et beato Petro Apostolorum principi gratum dependentis obsequium, et vobis, et Ecclesiis vestris conservabitis libertatem. Alioquin noverit antedictus filius noster ex admonitione vestra, noverit ex promissionis Evangelicæ veritate, quod sacrosancta Romana Ecclesia super firmissimam petram, Deo collocante, fundata, quantocumque ventorum turbine quatitur, in sua firmitate, protegente Domino, in sæculum sæculi permanebit ». Hæc ille tum cum ardore juvenili, et imperiali potentia Fridericus Ecclesiæ minaretur. Sed eum finem tragœdia illa habuit, quem Adrianus prædixerat. Siquidem post annum decimum nonum gravissimæ persecutionis, prævaluit tandem Ecclesia, et Fridericus imperator, Calisto antipapa, quem ad eam diem foverat, abdicare coacto, sese vero Pontifici Alexandro subiecit; ut scribunt probati historici, Abbas Urspergensis in Chronico, Platina in vita Alexandri, Gulielmus Neubrigensis rerum Anglicarum lib. III. cap. 2. Gulielmus Episcopus Tyri de bello sacro lib. XVIII. cap. 26. et alii. Neque tamen hac humilitate illud a Deo impetrare potuit, ut non etiam morte horribili, ac totius exercitus interitu peccatum ejus in Ecclesiam severissime puniretur. Atque hæc de prolegomenis.

CAPUT IV.

Imperium Romanum translatum a Græcis ad Francos Summi Pontificis auctoritate, historicorum testimoniis demonstratur.

Tempus jam est ut ad ipsam causam propius accedamus; atque ut ordine progrediamur, principio quid sit quæritur, sive statum causæ breviter exponemus; deinde sententiam nostram certissimis rationibus comprobabimus.

Igitur Romanum imperium tametsi ante Constantini tempora, modo ab uno, modo a pluribus Augustis pari potestate regeretur, unum tamen atque indivisum censebatur.

Deinde vero posteaquam Magnus Constantinus Constantinopolim quasi alteram Romam ædificavit, et cum ea alterum consulem, alterum senatum, et omnia Romanæ Urbis privilegia communicavit, divisum est imperium in partes duas; quarum altera imperium Orientis, altera Occidentis appellari cœpta est, et quemadmodum ante Constantinum principem, indivisum imperium aliquando plures Augusti administrabant, sæpius unus ac solus regebat, ita post Constantinum, imperium jam divisum plerumque duo Cæsares tenuerunt, raro unus ac solus princeps gubernavit. Siquidem Constantino vita functo anno Domini 341. Occidentale imperium Constantino juniore et Constanti, imperium Orientis Constantio cessit. Post Constantini autem, et Constantis excessum, anno 353. Constantius solus universo imperio præfuit. Constantio Julianus, Jovianus Juliano successit. Sed post obitum Joviani, Valentinianus, qui Joviano successerat, imperio Occidentis contentus, Orientale imperium Valenti fratri attribuit anno Domini 368, atque ex eo tempore usque ad annum Domini 476, id est, usque ad Augustulum, imperatores diversi divisum imperium tenuerunt. Augustulo vero ab Odoacre Herulo abdicare coacto, atque imperio Occidentis a Barbaris occupato, soli imperatores Orientis, et in solo Oriente regnarunt usque ad Justinianum. Sed cum is opera Belisarii et Narsetis, fortissimorum Ducum, Africam et Italiam, inde Vandalis, hinc Gothis exactis, recuperasset: tandem anno Domini 556, iterum ab uno imperatore Oriens et Occidens administrari cœptus est. Sed cum imperator Græcus esset, et Italiam per Exarchos regeret, nec eam ab infestatione Longobardorum tueri jam posset, anno 801. ineunte, ipso die Natalis Domini, creato in Urbe Roma novo imperatore Carolo Magno rege Francorum, ac per hoc translato Occidentali imperio a potestate Græcorum ad Francorum ditionem, iterum Romana Respublica rediit ad eum statum, in quo eam Constantinus Magnus instituerat, et in quo permanserat a Valentiniano seniore, usque ad Augustulum. Quamquam illud negari non potest, quin paulo major imperii divisio fuerit a tempore Caroli Magni, quam antea. Siquidem a Constantino ad Augustulum etsi divisæ erant imperii Romani provinciæ inter duos imperatores, quod attinet ad regimen et administrationem, erat tamen ita commune imperium, ut leges utriusque

imperatoris nomine toti imperio darentur; et si alter sine liberis decedebat, ad alterum totius imperii gubernatio, et providentia pertineret. Quocirca Paulus Orosius lib. VII. scribit, Arcadio Orientis, Honorio Occidentis provincias gubernantibus, commune imperium, divisum tantum sedibus fuisse. At post tempora Caroli Magni neque leges a Latino Græcoque imperatore communiter latæ sunt neque deinceps unquam aut Latinus Orientem, aut Græcus Occidentem gubernavit. Quæritur igitur, quisnam hujus translationis auctor fuerit, quisve Carolo Magno, ac successoribus ejus, nomen, dignitatem, ac potestatem imperatoris Romanorum, ac Cæsaris Augusti in Occidente tribuerit. Respondemus id quod clamat consensus omnium gentium, Leonem III, Pontificem Maximum aut solum, aut præcipuum et primum auctorem hujus translationis fuisse, eique Germanicam nationem imperium acceptum referre debere. Negat Illyricus, et odio Pontificum nescio quos alios auctores comminiscitur, atque ita se versat in omnem partem, ut historiam alioqui clarissimam, et fide orbis terrarum tot jam sæculis confirmatam, omnino obscurare nitatur. Accedant igitur historici omnes tum veteres, tum recentiores et auctoritatis suæ pondere, levitatem et impudentiam unius comprimant.

I. — Joannes Zonaras, auctor Græcus, qui Romano Pontifici adulari non noverat, tomo 3. Annalium in vita Constantini et Irenes, ubi de hac translatione loquitur, nullam senatus, nullam populi, nullam exercitus mentionem facit, sed rem totam Leoni Papæ adscribit. « Roma (inquit) prorsus Franci potiti sunt, Carolo a Leone coronato, et Romanorum imperatore appellato ». Et infra: « sub Constantino et Irene, Papa Leo Francos etiam Romam admisit, sic et Italia universa, et ipsa Roma sunt potiti. » Et infra: « At Francorum dux Carolus, imperator Romanorum a Papa Leone, ut dictum est, appellatus, missis ad Irenem legatis, nuptias illius ambiit, cum nec illa ab eo conjugio abhorreret ».

II. — Georgius Cedrenus in compendio historiarum in vita Constantini et Irenes, eadem fere quæ Zonaras refert, sed brevius: « Venerunt (inquit) etiam a Carolo, quem Leo Papa Romæ coronaverat, legati ad Irenem, eam Carolo in uxorem ambientes ».

III. — Paulus diaconus, qui tempore Caroli Magni floruit, et eidem Carolo familiaris fuit, lib. XXIII. rerum Romanorum, post-